

bet, hoc vero abjectionem et ignominiam; illud spem victoriæ semper præ oculis habet, hoc vero mortem solam et extinctionem.

V. Infernum. Primo, quia patres e limbo redere debuit, et tandem etiam corpora omnium hominum reddere debebit in die iudicii. Ante Christum omnes ad infernum, id est, in gehennam vel limbum descendere, modo iustis apertum cælum et clausus limbus; proinde jam e purgatorio non fit saltus ad limbum, ut olim, sed immediate ad cælum. Qui purgatorio non egent saltum mox ad cælum faciunt. Atque ita Christus morsus inferni fuit, quia patres e limbo, sicut partem sanam e pomo putrido dentibus exsecuit. Cujus figura erat Abraham, qui persequando Codorlahomor, prædam abactam et Loth cum suis iterum eripuit: David qui oves ex ore ursi et leonis, I. Reg. XVII.

Secundo, quia inferno constrinxit fauces, dum innumeros ei holos abstulit animarum, quos alioqui devorasset, nunc autem non nisi reprobos et a Deo abjectos sortitur; deinde quia quoad sufficientiam liberavit Christus ab inferno omnes. Quemadmodum Judas victo Adonibezece fecit, ut cæsis summitatibus manu et pedum colligeret sub mensa ejus ciborum reliquias, ut habetur Jud. I. Sic fecit Christus inferno. Truncavit eum viribus suis et sub mensa quasi continere vinctum cepit, ut non nisi quæ abjecta sunt in mundo, quasi ossa et canum pabula, in eum projiceret. Absorbuit prius fluvium (Job. XL.) nec mirabatur, et habuit fiduciam quod etiam Jordanis influeret in os ejus, id est, Christiani, baptismo sanctificati, et qui despectis terrenis, celestibus junguntur, ut exponit S. Gregor. Sed fraudavit eum hac sua spe Christus et Christianorum ingentem numerum ei abstulit, ablaturus omnino omnes, si se Christo jungere vellent.

Vidimus qua ratione Christus debellarit hostes nostros omnium acerrimos. Superest nunc ut nos fruamur hac victoria et dividamus spolia per eam nobis parta, utendo remediis illis, qui præscripsit nobis, ut etiam nos victores evadamus et cum ipso tandem in cælo triumphemus.

CONCIO III.

CHRISTUS IN RESURRECTIONE LEO.

I. Quoad somnum mortis. — II. Quoad suscitacionem sui. — III. Quoad resurgentis gloriam. — IV. Quoad imperium. — V. Quoad liberalitatem.

THEMA.

Ecce vicit leo de tribu Juda. Apoc. V.

Tametsi quatuor illa animalia visa ab Exe-

chiele (homo, vitulus, leo, aquila) ex communi sententia designant quatuor evangelistas; eadem tamen secundum gloss. ordinariam in c. Apoc. IV. Hieron. in procemio in quatuor evangelia, Anastasium Sinaitam, l. IV. suor. comment. in hexameron et alios, Christum Dominum designant. Primo, quia per hominem designatur ejus humanitas, per vitulum ejus sacerdotium, per leonem regnum, per aquilam divinitas. Deinde quia Christus in incarnatione homo fuit, in passione vitulus, cum vitulus sit immolatum animal; unde apost. I. Cor. V. dixit: *Pascha nostrum immolatus est Christus*, in ascensione aquila, quod altissimus ejus demonstrat volatus, in resurrectione vero leo; sic enim innuit prophetia Jacob ad Judam, e cujus tribu Christus prognatus: *Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo: quis suscitabit eum?* Gen. LXIX. Sic innuit Joann. Apoc. V. *Ecce vicit leo de tribu Juda*. Leo, quia rex cæli et terræ; catulus leonis, quia secundum naturam divinam ejusdem cum Patre divinitatis et majestatis, secundum naturam humanam minor est Patre. Qua vero ratione leo sit, potissimum in resurrectione, nunc videbimus.

I. Quoad somnum mortis præcedentem, juxta quod dicit Jacob: *Requiescens accubuisti ut leo*. Nam primo, leo capta præda gemiculatis cruribus quasi accumbit ad eam comedendam. Sic etiam in cruce Christus inclinato capite tradidit spiritum, ultro scilicet inclinando se et annuendo morti ut veniret, quæ alioquin accedere non fuisset ausa, ut scribit Anastasius Sinaita, l. IV. ad Antioch. Unde S. Greg. in IV. Ps. pœnitentialem: *Ut leo, inquit, requiescens accubuit, quia mortem sponte subivit*. Hinc Ps. III. ait: *Ego dormivi et soporatus sum*. In Græco et Hebr. habetur: *Ego accubui ut dormirem*. Et hæc est gloria nostri leonis, quod non coactus, sed sponte mortuus sit. Prædam porro comedit, quando infernum spoliavit, educendo patres e limbo.

Secundo, leo dormit aperto loco, non in speluncis ut aliæ feræ, animi nimirum præstantia fretus, ut ait Oppianus, lib. III. cyneget. et nihil sibi timens. Unde S. Hilarius, in Ps. CXXXI. ait: *Leo terrori est feris omnibus, et hic solum per confidentiam et securitatem dormit intrepidus*. Sic Christus ad somnum se composuit loco et aere apertissimo in monte Calvarie licet undique circumdatus hostibus suis, et in horto vicino sepultus est, nil sibi timens a Judæis, quia sciebat suæ resurrectioni nullum eos ponere impedimentum posse. Obsidebant illi et custodiebant sepulcrum militibus, et *muniunt signantes lapi-*

dem, imo et ferramento obserarunt, ut scribit Nicephorus, lib. I. hist. cap. XXXII. Sed inter hæc omnia securissime dormivit Dominus, quia leonina sua potentia viam nihilominus resurrectioni suæ fecit, ac veluti Samson in Gaza circumdatus a Philisthæis portas urbis sustulit, frustra sibi oclusas. Unde in Ps. III. ait: *Ego dormivi et soporatus sum, et exurrexi, quoniam Dominus suscepit me: non timebo millia populi circumdantis me*, id est, licet mille modis me circumdent et mille obices ponant, non tamen impediunt meam potentiam, sed potius promovebunt. Unde Athan. serm. in s. paraseve ait: « Miser et infelix judex, qui mortis vincula dissolvit, non solvet sepulcri sigilla! Qui spoliavit infernum, timebit monumenti signacula! Muni sepulcrum, signa lapidem, statue milites, obside monumentum custodibus; isto modo egregium opus majus efficias; statuis enim spectatores ac testes resurrectionis, meorumque miraculorum præcones ministros tu præparas. »

Tertio, leo etiam cum dormit, terribilis est. Sic mors Dominica terrori fuit tum morti, tum diabolo, inquit Anastasius, q. CIII. ad Antiochum. Imo et Judæis, timentibus ejus resurrectionem. Unde Amphilocho in serm. de sepult. Domini ait: « Quis unquam vidit mortuum asservari, vel potius, quis vidit unquam mortuum belligerare? Quis audivit aliquando mortuum et undique circumseptum, metum eis incutere, qui eum interemerunt? » Magna fuit Christi in cunis adhuc jacentis potentia, quando Herodem terruit, quasi regnum ei erepturus esset; sed quanto major jacentis in sepulcro, quando revera exiit mortem et diabolium regnis suis?

Quarto, leo dormit apertis oculis; sic Christus in sua morte apertum habuit divinitatis oculum, mansit enim unio Verbi cum anima et corpore etiam separatis. Unde in Psal. III. mortem suam vocat somnum tantum: *Ego dormivi et soporatus sum*. Scivit ergo in morte sua Christus, quid ageret, quantum dormire, et quando exurgere deberet.

II. Quoad potentissimam sui ipsius suscitacionem de morte. Ut enim *leo fortissimus bestiarum, qui ad nullius pavet occursum*, teste Salomone, Proverb. XXX. sic Christus divinitatis suæ potentia superavit uti omnia alia, ita et ipsam mortem, cum seipsum a mortuis suscitavit. Et quidem de catulo leonis proditum est memoriæ a Ruffino, Eucherio et aliis, cum primum nascitur, tribus diebus ac noctibus eum dormire; deinde vero patris rugitu, tremefacto cubili suscitari: sic etiam Christus postquam triduo dormivit in sepulcro, tum Patris voce seu potentia

suscitatus est, ut habetur ad Gal. I. non sine ingenti terræ motu, qui in Christi resurrectione accidit. Sed tamen eadem illa potentia, ipsius etiam Christi potentia fuit, quia ut Deus eadem cum Patre habuit, eademque se ipse quoque a morte suscitavit. Unde Jacob in benedictione Judæ, de Christo dixit: *Requiescens accubuisti ut leo: quis suscitabit eum?* q. d. non indiget resuscitante; ipse enim ut Deus seipsum resuscitavit. Ita S. Ambros. ib. « Quis enim est alius, inquit, qui resuscitet, nisi ipse se sua Patrisque resuscitet potestate? Video natum auctoritate propria, video mortuum propria voluntate, video dormientem potestate propria, qui omnia suo fecit arbitrio; ejus alterius auxiliis indigebit ut resurgat? Ipse igitur resurrectionis suæ auctor est. » Et Aug. l. XVI. de civit. c. XLI. ait: « Illum nullus hominum sicut propheta aliquot vel sicut ipse suos suscitavit; sed sicut a somno ipse surrexit. » Similiter S. Bern. ser. V. in die paschæ ait: « Quis in cæteris omnibus suscitavit aliquando semetipsum? Ineffabile istud est ut a morte se excitet ipse qui dormit, singulare est; non est qui faciat, non est usque ad unum. Elisæus propheta mortuum suscitavit, sed alterum. non seipsum. Ecce enim quot annis jacet in monumento? Quod a se non potest, sperans ab alio suscitari: ab eo utique qui triumphavit mortis imperium in seipso. Inde est, quod cæteros quidem dicimus suscitatos, Christum resurrexisse, qui solus virtute propria victor prodit de sepulcro. Siquidem et in hoc vicit leo de tribu Juda. » Sic Bernardus.

III. Quoad resurgentis gloriam et generositatem. Leoni enim, teste Plinio, l. VIII. c. XVI. tunc præcipua advenit generositas, cum colla armosque vestiunt jubæ. Ita Christi majestas præcipue per resurrectionem splenduit; nam tunc immortalitatis vestibus indutus, quasi leo jubas per colla armosque sparsit, generosum se leonem de tribu Juda ostentans. Cujus rei typus fuit Samson, cum ei una cum crinibus restituta est fortitudo, teste August. serm. CVII. de tempore, restituta item gloria et forma corporis longe major quam ante fuerit. Atque ita verissime impleta est prophetia Aggæi, c. II. dicentis: *Magna erit gloria domus istius novissimæ, plusquam primæ dicit Dominus exercituum, et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum*. Christus enim templum corporis sui solutum a Judæis, in triduo reædificavit, et quidem longe majori gloria exornavit, quam fuerit exornatum prius. Magna fuit Christi gloria cum in cunis adoraretur a magis et prædicaretur ab angelis; sed erat tamen ibi etiam paupertas,

contemptus et infirmitas, quia jacebat in stabulo infans. At in ejus resurrectione fuit gloria sine contemptu, potentia sine infirmitate, divitiæ sine defectu. Magna ejus gloria dum in monte Thabor gloriosus apparebat; sed ostendit ibi unam tantum ex dotibus corporum gloriosorum, claritatem scilicet; non ostendit agilitatem, subtilitatem, impassibilitatem. Deinde ea claritas modicum duravit. Denique ibi sermo de morte ejus fuit. At in resurrectione omnes istas dotes simul accepit Christus et retinuit constanter. Magna fuit Christi gloria, cum super mare ambulavit, ventis et mari imperavit, dæmones ejecit, morbos sanavit, panes multiplicavit, mortuos suscitavit; sed hæc omnia tamen in forma servi gessit; interim esuriit, sudavit, alsit, fatigatus est. Major est gloria domus ejus secundæ, quando seipsum a mortuis excitavit et cælos ascendit gloriosus. Magna fuit ejus gloria in cruce, cum homines et elementa divinitatem ejus contestata sunt, sed fuit ibi simul dolor, ignominia, deformitas, mors. Nihil horum in resurrectione. Unde optime Aggæus: *In loco isto dabo pacem*, inquit. Gloria primi templi non fuit sine paupertate, contemptu, infirmitate, labore, timore, dolore, etc. gloria vero templi secundi hæc omnia excludit. Et quanta est hæc gloria, quanta felicitas; vivere vitam beatam sine metu mortis, sine periculis, sine molestia, sine defectu? Habere corpus splendidius sole, robustius ferro, agilius vento, totum impassibile et spirituale, hoc est, spiritui omnino subjectum? Compara gloriam resurrectionis cum ignominia crucis. O quanta diversitas! Aspice ibi patientem, sanguine perfusum, vulneribus perfossum, inter latrones. Aspice hic impassibilem, rutilantem, agilem, subtilem, stipatum angelis et ss. patribus. Quam diversa facies hæc a priori! Vere nunc *hiems transit, imber abiit et recessit: flores apparuerunt in terra nostra*. Vere tunc dicere poterat Christus cum Josepho exaltato: *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum*, Gen. XLI. Tam felicem nimirum finem sortitur vita justorum. Vexantur hi nunc uti Samson robore destitutus. Sed expectent paululum, donec capilli eis crescant, expectent resurrectionis diem, tunc conterent inimicos suos; tunc dicent: *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum nostrorum*.

IV. Quoad dominatum super orbem. Leo enim rex est animalium, suoque ea subiecit imperio cum vult, vel ipso rugitu; imo solo etiam aspectu. Refert enim D. Ambrosius, l. VI. hexam. cap. III. leonis voci tantum naturaliter inesse terrorem, ut multa animantium, quæ per celeritatem possent impetum ejus evadere, rugientis ejus sonitu, quasi vi attonita atque iota deficiant

et gressum firment veluti regis sui edictum expectantia. Ita enim Christus post resurrectionem per aspectum angeli et per terræ motum terruit custodes: deinde per apostolorum prædicationem, instar leonis rugientes aulla vi, solo rugitu, id est, fama et fide resurrectionis suæ, attonitas reddidit, victasque tenuit atque ad sui cultum et admirationem traxit, quod ad litteram prædixit Habacuc, c. III. post triumphum ejus de morte et diabolo felicem prædicationis successum recensens. *Cornua in manibus ejus*, inquit, videlicet in cruce: *ibi abscondita est fortitudo ejus. Ante faciem ejus ibi mors, et egredietur diabolus ante pedes ejus. Stetit et mensus est terram, aspexit et dissolvit gentes*, (alii legunt: distribuerunt gentes) et contriti sunt montes sæculi, incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus. Hoc est, ut interpretatur Hieronymus, cum Salvator, et cuncta perspicens, oculoque sub universitatem mundi metiens, gentium multitudinem dissipavit: quibus dissipatis contriti sunt montes hujus sæculi, et incurvati colles, principes videlicet hujus sæculi, qui prius erecta cervice gradiabantur; contriti autem et incurvati sunt ab itineribus æternitatis ejus, id est, a resurrectione ejus ad vitam immortalem. Itaque territi sunt ad hanc vocem imprimis Judæi, sed infelicer, quia nihil inde emendati, fraudes potius et mendacia excogitarunt quibus gloriosam Christi resurrectionem tegerent, custodes depravando pecuniis et subornando ut dicerent, sublatum esse Christum a discipulis ipsis dormientibus. Sed longe aliter evenit, custodes enim ipsi facti sunt testes et præcones resurrectionis Christi et eorum, quæ circa ipsam evenerunt, ut habetur Matth. XXVIII. Deinde territæ sunt gentes, sed felicius quam Judæi; siquidem ad hanc resurrectionis vocem steterunt, et imperium Christi receperunt.

Porro, magna hic est differentia inter leonem et Christum. Leo enim terret sistitque animalia ut devoret, Christus vero, ut salvet et vivificet. Unde regis hujus nostri dominatus non est tyrannicus, sed paternus. Ut vero leoni tantum ex feris clementia in supplices, ut ait Plin. sic Christo etiam Domino. Leo non sævit, nisi irritatus, et in viros prius quam in feminas; mitigatur et precibus, uti a femina captiva apud Plin. lib. VIII. cap. XVI. Sic Christus. Unde apostolus ad Hebr. *Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia, etc.* Quamquam etiam Christus non absuade dici potest depascere peccatores, quia mortificatos et contritos per penitentiam facit sibi intimo amicos, undique vult membra sua.

V. Quoad liberalitatem et munificentiam. Leo

enim, ut refert Solinus, Bart. Anglicus et alii, adeo liberali et generoso est animo, ut captæ prædæ partem reliquis impertiatur animalibus, solus prædæ comedere erubescat, sæpe etiam sequentibus a longe bestiis derelinquat. Ita Christus prædæ, quam cepit, gloriam et immortalitatem, nobis communicavit, suo tempore conferendam. Imo in ejus rei fidem et assecurationem aliquibus, qui cum ipso resurrexerunt, statim contulit, ne dubitarem, eandem omnibus aliquando concedendam esse. Cujus rei typus fuit favus mellis, quem in ore leonis a se occisi invenit Samson, quemque non ipse solus comedit, sed communicavit etiam parentibus suis, Judic. XIV. Leo occisus Christus, e cujus ore postea prodiit imprimis favus ille dulcissimus: *Pax vobis*. Deinde: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis*. Denique favus resurrectionis et gloriæ. Atque idcirco post resurrectionem Dominus comedit favum mellis, et reliquias dedit discipulis, Luc. XXIV. nos hunc favum nondum gustavimus, expectamus tamen. Sufficit interim spe illius vivere. *Fiducia enim Christianorum*, inquit Tertullianus, *resurrectio mortuorum*, imo non fiducia tantum, sed etiam vita Christianorum esse debet hæc spes. Si enim nunc spes alit agricolas, cum vident semina in agris sese erigere et vivere, unde messem expectant; cur non item nos spe illius gloriæ vivamus, cujus semen habemus in resurrectione Christi? Gregariorum et villium militum est servire propter stipendium paucorum florenorum menstruatim solvendorum, non item ingenuorum et nobilium, stipendium non quærunt, sed ob spem aliquid magnæ promotionis serviunt. Mundi sectatores ob præsentia tantum bona serviunt, presentibus tantum gaudent. Sed non ita nos, Christi sectatores, qui spe futurorum bonorum vivimus. *Nostra conversatio*, ait apostolus ad Phil. III. *in cælis est, unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*. Itaque, o Christiani, *si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram*, Col. III.

CONCIO IV.

CIRCUMSTANTIE RESURRECTIONIS.

I. Quando resurrexit: 1. Post descensum ad inferos. 2. Die prima sabbati. 3. Mane in aurora. 4. Die tertio. — II. Cur resurrexit. — III. Quo apparuit? 1. Cum terræ motu. 2. Cum angeli intertuntio. 3. Uno cum multis sanctorum corporibus.

THEMA.

Surrexit, non est hic. Marc. XVI.

Mirum, quid scribunt de cynocephalo (Pie-

rius, lib. VI. hierogl. et alii) bestia manibus, pedibusque, et cætero corpore homini non absimili. Senescente enim luna oculorum lumine, necnon viribus corporis deficit. Cum vero adolescit luna, suumque orbem redintegrat, resumit et cynocephalus una cum ipsa oculorum aciem, viresque corporis, et reconcinnat orbicularem suam jubam, ac tum se in posteriores pedes erigit, et lunarem circulum sublatis manibus ritu supplicantis venerandus adorat; qua quidem veneratione protestatur se omnem suam felicitatem gratiosissimo illi sideri debere, et in acceptis referre. Non ita pendet, auditores, cynocephalus a luna, uti nos a Christo Domino et Salvatore nostro, qui est lumen oculorum nostrorum, a quo vires omnes omnemque felicitatem expectare debemus. Porro vidimus ante triduum deficere hoc lumen, ac demum prorsus extingui in cruce. Sensit hunc defectum sponsi sui sponsa, universa fidelium Ecclesia; unde lacrymis et gemitibus plena una cum ipso affligi et quodammodo mori visa est. At vero postquam is hodierno die restauravit corpus suum, novoque immortalitatis lumine vestivit, illico et Ecclesia cum eo reviviscere ac revirescere, novas animi vires resumere, ac gaudiis undique perfundi; siquidem ut apostolus ad Eph. II. ait nos cum Christo resuscitati sumus. Et D. Leo, serm. II. de resur. *Nos*, inquit, *in Christo crucifixi: nos sumus mortui, nos sepulti, nosmet die tertia resuscitati*. Quare jure merito attollimus nos hoc die ad contuendum grato et venerando animo cæleste illud sidus, a quo omnia nostra salus pendet. Ergo videamus qua ratione et quarum interventu rerum Christus vitæ eique beatæ et immortalis restitutus sit.

I. Quando resurrexit. Respondetur primo, postquam ad inferos descendit. Causæ descensus sunt. Prima, ut subiret pœnas peccatorum nostrorum. His autem mors debebatur et post hanc descensus ad inferos. Quamquam is descensus nullam Christo pœnam attulit. Valer. Max. l. V. c. VI. scribit: « Cum in mediam partem fori vasto ac repentino hiatus terra subsideret, responsumque esset, ea re illum tantummodo compleri posse, quæ populo Romano plurimum valeret: Curtius, et animi et generis nobilissimus adolescens, interpretatus urbem nostram virtute, armisque præcipue excellere, militaribus insignibus ornatus equum conscendit, cumque vehementer admotis calcaribus præcipitem in illud profundum egit, super quem universi cives honoris gratia certatim fruges injecerunt, continuoque terra pristinum habitu recuperavit. » Hujusmodi hiatus fuit limbus patrum, nunquam ocludendus, nisi in eum se dimisisset omnium

nobilissimus, Dei Filius. Ergo hic in eum descendit mero nostri amore, sicque mox sinus ille terræ oclusus fuit, neminique deinceps patuit.

Secunda, ut devicto diabolo prædam ei eriperet et spolia, vinetos scilicet patres, qui in limbo definebantur. Tertia, ut impleteret omnia, inquit apost. ad Eph. IV. hoc est, ut, sicut potestatem suam ostenderat in terra vivendo et moriendo, sic etiam eandem ostenderet in inferno, illum visitando, illuminando et effringendo. Erat ergo velut sol quidam totum percurrens orbem, ut omnibus impertiret suum lumen et calorem.

Secundo, die prima sabbati seu hebdomadæ, hoc est, die dominico : sic dicto a resurrectione Domini, Apoc. I. Nec incongrue; ille enim dies primus erat mundi, in quo Deus cælum et terram creavit, dixitque : *Fiat lux, et facta est lux* : dies vero resurrectionis Domini, dies prima est recreati et Deo reconciliati mundi, in qua Christus lucem gratiæ mundo impertivit : et jam non quasi terrenus, sed quasi cælestis homo apparuit.

Tertio, mane in diluculo seu aurora, de communiore sententia. Ita enim videntur exponenda verba illa Marc. XVI. *Surgens Jesus mane prima sabbati apparuit primo Mariæ Magd.* ut videlicet mane copuletur cum voce surgens, quod suavis constructio petit. Idem sentit Ecclesia in hymno : *Aurora lucis rutilat, cum rex ille fortissimus, victor surgit de funere.* Accedunt prophetiæ, Ps. XLVI. *Exurgam diluculo.* Et in titulo Ps. XXI. qui inscribitur, *Pro cerva matutina seu aurora.* Talis autem cerva Christus fuit, cum mane de sepulcri latibulo prosiluit. Causam primam exponit S. Thom. III. p. q. XLIII. art. II. dicens : *Christus surrexit juxta diluculum illucescente jam die, ad significandum, quod per suam resurrectionem nos ad lucem gloriæ inducebat.* Secundam S. Leo, ser. I. de resurr. *Asturbatos discipulorum animos longa mæstitudo cruciaret.* Tertia moralis, ut nos doceret tempestive Deo servire, cito et alacriter ad bona opera nos accingere, denique summo mane surgere, et ad opus prodire.

Quarto, tertio die; qui tamen tres dies non sunt omnes integri : sed quoad primum et tertium pars pro toto sumenda est, per synecdochen. Prædictum id a Christo Joan. II. *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Præfiguratum in Jona quod triduo in ventre ceti fuit, Matth. XII. Joan. II. Ratio seu congruentia hujus rei prima est, quia ex una parte debuit certo constare mors Christi, ad quod sufficiebat triduum ; ex altera non debebat ejus resurrectio diu differri, ne fides credentium

corrueret, et ne caro Christi corrumperetur. Recte ergo tertia dies decreta est resurrectioni. Ita D. Thomas loco cit. Secunda : quia, si tardius surrexisset, non videretur surrexisse, sed quis alius : nec fuisset habitus mortis triumphator. Tertia : quia « Per resurrectionem Christi tertium tempus incipiebat; nam primum fuit ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Incepit etiam in Christi resurrectione tertius status sanctorum; nam primus fuit sub figuris legis, secundus sub veritate fidei, tertius erit in æternitate gloriæ, quem Christus inchoavit resurgendo. » Ita S. Thom. loco cit.

II. Quare resurrexit Christus? Respondet ad hoc idem doctor, III. p. q. LIII. art. I. « Dicendum, quod necessarium fuit Christum resurgere propter quinque. Primo quidem, ad commendationem divinæ justitiæ, ad quam pertinet exaltare illos, qui se propter Deum humiliant, secundum illud Luc. I. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles, quia ergo Christus propter charitatem et obedientiam Dei se humiliavitque ad mortem crucis, oportebat, quod exaltaretur a Deo usque ad gloriam resurrectionis. Unde ex ejus persona dicitur in Psalm. Tu cognovisti, id est, approbasti sessionem meam, id est, humilitatem meam et passionem et resurrectionem meam, id est, glorificationem in resurrectione; sicut glossa exponit. Secundo, ad fidei nostræ instructionem, quia per ejus resurrectionem confirmata est fides nostra circa divinitatem Christi, quia ut dicitur, II. Cor. ult. Etsi crucifixus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute Dei. Et ideo I. ad Cor. XV. dicitur : Si Christus non resurrexerit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides nostra. Et in Ps. dicitur : Quæ utilitas erit in sanguine meo, id est, in effusione sanguinis mei descendendo quasi per quosdam gradus malorum in corruptionem? Quasi diceret : Nulla. Si enim statim non resurgo corruptumque fuerit corpus meum, nemini annuntiabor, nullum lucrabor, ut glossa exponit. Tertio, ab sublevationem nostræ spei, quia dum videmus Christum resurgere, qui est caput nostrum, speramus et nos resurrecturos. Unde dicitur I. Cor. XV. Si Christus prædicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam resurrectio mortuorum non est? Et Job. XIX. dicitur : Scio, scilicet per certitudinem fidei, quod redemptor meus, id est, Christus, vivit, a mortuis resurgens, et ideo in novissimo die de terra surrecturus sum : reposita est hæc spes mea in sinu meo. Quarto, ad informationem vitæ fidelium secundum illud ad Rom. VI. Quoniam Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ

ambulemus. Et infra : Christus resurgens ex mortuis jam non moritur : et vos existimate mortuos esse peccato, viventes autem Deo. Quinto, ad complementum nostræ salutis, quia sicut per hoc quod mala sustinuit moriendo, ut nos liberaret a malis, humiliatus est : ita glorificatus est resurgendo, ut nos promoveret ad bona secundum illud ad Rom. IV. traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. »

III. Qua pompa et quo apparatu surrexit? Respondetur primo, cum terræ motu, quo perterriti custodes facti sunt veluti mortui. Factus est autem hic terræ motus, propter custodes, ut timore dejecti et terrore angeli consternati surgere, et hæc Judæis nuntiarent ac testes ferent veritatis, inquit Euthymius. Prædictum de illis videtur Nahum III. *Custodes tui quasi locustæ, quæ confidunt in sepibus : in die frigoris sol ortus est et avolarunt.* Dies frigoris erat dies sepulture Domini : orto igitur præter spem sole, Christo inquam resurgente, avolarunt præ timore custodes. Secundo, ad honorandam Christi resurgentis majestatem. Solent passim principes adventantes in civitatem, æneorum explosione tormentorum excipi. Idem ergo terra Christo ad se ingredienti et ab inferis revertenti fecit. Tertio, ad notificandum angeli descensum de cælo. Hanc causam reddere videtur Matthæus ; ait enim : *Terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo.* Quarto, ad indicandam Christi victoriam ab inferno domito reportatam. Ut enim ventus terræ cavitatibus inclusus et vi erumpens terram scindit cum fragore : ita Christus ab inferis divina vi prodens, limbum dirupit et infernum perterrefecit. Devoraverat terra prius hominum corpora, sed quia inter illa admisit etiam cibum corporis Christi innocentissimi et qui non poterat corrumpi; ideo omnia ejus viscera conturbata fuerunt et cibum illum cum ingenti ructu ejecit.

Secundo, cum angeli internuntio. Expressit autem is statum redivivi Christi, necnon omnium gloriosorum corporum. Angeli enim impassibiles sunt, vulnerari et mori nequeunt. Agilissimi sunt, ut in eo patet, qui brevissimo temporis spatio detulit Habacucum in Babylo-niam ad Danielem. Subtilissimi sunt, quia idem ille penetravit in lacum Danielis clausum, nullis confractis seris, nec regio amoto sigillo. Clarissimi sunt, siquidem Matthæus de angelo isto scribit : *Erat aspectus ejus sicut fulgur, c. XXVIII.* At hæc sunt quatuor dotes corporis glorificati Christi. Præterea apparuit juvenili forma ; quia Christus ea ætate, qua erat mortuus, surrexit,

juvenili scilicet et decora. Sedit quoque ad quietem ejus designandam post peractam pugnam; necnon judiciariam potestatem. A dextris denique sedit, quia ad dextram Patris sessurus erat Christus.

Tertio, una cum multis sanctorum corporibus, quod scribit Matth. c. XXVII. nec prius factum esse videtur quam resurgere Christus. Voluit autem Dominus suscitare secum aliquorum sanctorum corpora, primo, ut suam charitatem et liberalitatem ostenderet, qui non poterat se continere, quin bonum resurrectionis suæ et aliis mox communicaret, ad instar nimirum nobilis aquilæ quæ prædam suam sola non comedit, sed cum aliis avibus se comitantibus dividit. Secundo, ut hi pauci essent testes resurrectionis ejus, et hinc nos quoque spem conciperemus, resurrecturos etiam suo tempore nos, quemadmodum surrexerunt isti. Tertio, ut nobis aperiret voluntatem suam, qua desiderat, quantum in ipso est, ut mox omnes resurgamus spiritualiter novam inchoantes vitam; ac sicut ipse feralem exuit amictum, et induit cælestem : ita nos exuto veteri homine induamus novum, ac quantum fas est corpus gloriosum, simusque immortales cum firmitate, ne amplius ad lethalia peccata redeamus, sicut Christus semel resurrexit, non amplius moriturus : impassibiles, nullis animi perturbationibus aditum præbentes, quæ morbum aliquem animæ adferant : splendentes lumine internæ cognitionis rerum cælestium; agiles ad exequendum absque ulla repugnantia, quidquid erit voluntatis Dei; subtiles et spirituales, ita omnibus terrenis renuntiantes, ut nihil ex eis, nisi quod sit necessarium accipiamus, ut conversationem nostram habere in cælis possimus, quamvis corpore versemur in terris. Quod nobis præstet Deus.

CONCIO V.

QUOMODO CUM CHRISTO RESURGENDUM.

I. Surgendum vere. — II. Surgendum integre. — III. Surgendum firmiter. — IV. Surgendum ad normam corporis gloriosi.

THEMA.

Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quarite. Coloss. III.

Quando Christus adhuc infans in templo præsentabatur, prophetavit de illo Simeon : *Eccce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel,* Luc. II. Id vero completum esse